

laboret incertitudine, uti ex Tabella apud Ricciolum fol. 708. patet; causas indicavimus *lib. 5. cap. 10*; Minima verò diversitas, hoc est, una secunda, quæ in diametro apparenti horum astrorum invenitur, plus vel minus, incredibilem parit differentiam magnitudinis, nedum, una, duæ, vel tres minutæ, quæ sæpius plus vel minus astro alicui assignantur. 3. A singulari natura vel qualitate Lucis & Luminis, dum parum intersit corporis Lucidi aut Luminosi, an multis millibus miliarium vel etiam semidiametrorum Terrestrium propinquius, an verò remotius sit; nulla enim percipitur alteratio magnitudinis ejus, uti *lib. 4. cap. 14.* videndum.

Ex quibus causis manifestum est, quod non detur via definiendi aliquid certi de ejusmodi corpore aut globo, majore atque minore, ex magnitudine quæ oculis præsentatur.

Quantumvis autem dissentiant Astronomi hæc in re, certiores tamen sumus, posse magnitudines horum corporum comprehendi terminis, juxta scilicet eorum Lationes periodicas circa Solem.

Ut enim periodus unius anni se habet ad corpus Telluris 1; sic præterpropter se habebit periodus Saturni  $29\frac{1}{2}$  annorum, ad corpus Saturni  $29\frac{1}{2}$ .

Ex quibus sequitur per regulam auream & cujuslibet Planetæ periodum, *cap. anteced. 11.* in fine indicatam, quod:

Saturnus	}	fit major	Terrâ	}	vicibus.	
Jupiter						$29\frac{1}{2}$
Mars						12
Venus	}	fit minor	Terrâ	}		
Mercurius						$\frac{2}{3}$

## CAPUT XV.

### *An in Planetis sint Animalia?*

**Q**uod de Lunâ antiquorum Philosophorum quidam asseruerunt, animalia scilicet in eâ esse; ad reliquos Planetas extendunt *Heraclides, Pythagoræi & Sectatores Orphei*. Nam ut spatium in quo degunt vel subsistunt Planetæ, est unum idemque, sic inquit *Cardinalis Cusanus* in *lib. 2. de docta ignorantia* (apud *Reitam* in *Oculo Enoch & Eliæ* *lib. 4. cap. 1. fol. 179*) *Per hominem non esse scibile, an regio Terræ sit in gradu perfectiori aut ignobiliori respectu regionum aliarum stellarum. Nam etsi Deus sit centrum & circumferentia omnium stellarum, & ab ipso diversæ nobilitatis naturæ procedant in qualibet regione habitantes, ne tot loca Cælorum & stellarum sint vacua & non solum ista Terra fortassis de minoribus habita; tamen intellectualis natura quæ hic in hac Terra habitat & in sua regione, non videtur nobilior atque perfectior dari posse secundum hanc naturam, etiamsi alte-*

*rius generis inhabitatores sint in aliis stellis, &c.*

In quam sententiam propendet *Keplerus*, dum *Astronomia Optica* <sup>*Kepleri sententia.*</sup> pag. 250 & in dissertatione cum *Nuncio Sidereo* pag. 10. dicit: *Veri non absimile esse, non tantum in Luna, sed etiam in Fove ipso incolas esse, &c.*

Et *Pat. Antonius Reita*, dum dicto loco ita disserit: *Certè cum adeò multa* <sup>*Reita sententia.*</sup> *adhuc esse in Cælis, quæ nos latent, nostri temporis tot novis circa Saturnum, Jovem & alios Errones detectis Phænomenis tacitè innui & argui videatur; hinc majorem nos jam etiam paulatim de aliis adhuc partialibus mundis, nobis ignotis, suspicandi, philosophandique causam habere videmus, quam ipsimet Veteres & Cusanus. Admirandum enim Systema Joviale, à similitudine Lunæ Tellurem nostram tam bello & statuto ordine ambientis, nescio quid simile nostro huic mundo inferiori tacitè innuat: ita ut meritò suspicari liceat; quid*  
in

*Cardinalis Cusani sententia.*